

Caspar Mauritius

Programma Quo Ad Solennia Jesu Christi Servatoris Natalitia Devotis & gratis animis recolenda Cives Academici invitantur

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734943229>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 1656/e

Gaspar Mauritius

Progr. ad natalitio J. C.

PROGRAMMA

Quo

AD SOLENNIA

JESV CHRISTI
SERVATORIS
NATALITIA

Devotis & gratis animis re-
colenda.

Cives Academici invitantur.

Propositum

RECTORE

CASPARO MAURITIO

SS. Th. D. P. P. & Superint.



ROSTOCHII,

Typis Haredum NICOLAI KILII,

acad. Typogr. Anno 1656.



Lluxit per DEI gratiam festus ille dies, quo gaudet tota CHRISTI Ecclesia & exclamat: Infans natus est nobis, Puer datus est nobis. Quem Esaiæ locum de Messia rectè interpretatur Targum. Neq; enim alii quam Messiaë tribui possunt ista Misterii plenissima verba: *Mirabilis consiliarius, DEUS fortis* (hæc enim jungi accentus jubet) *Pater sempiternus, Princeps pacis.* Exspectant Judæi Messiam: quidam venisse dicunt, cæterum JESUM Nazarenum Messiam esse pernegant. Prioribus tempora Messiaë in Scripturis præfinita opponimus. Primo loco audiatur Daniel cap. IX. 24. quam Prophetam esse docet Rab. Moses B.M. in More Nebochim lib. II. cap. 45. Præstantiorem Prophetam Thalmud agnoscit tractatu Sanhedrin cap. in citante Voisin ad secundæ partis cap. 3. Pugionis Fidei Raymundi Martini. Is ergo Daniel *septuaginta hebdomadas* definit, hoc est, interprete Authore Beth Jsrael explicante illud Thalmudis tract. de Nazareatu cap. 5. *quadringentos & nonaginta annos.* Quibus suffragantur R. Saadias, Gaon, & R. Aben Ezra. Addunt Rabbini, citante eodem Voisinio, *summam totam 490. annorum pertinere ad statum durationis templi secundi & sacrificiorum.* Quibus stantibus inviçtam procedit argumentum nostrum probans, Messiam dudum venisse. Non enim ipse tantum Daniel vocem Messiaë absolutè ponit, ut de alio quam vero Messiaë exponi nequeat, quæm dicit *exscindendum*, sic tamen *ut non ei sc. excisio sit* (vid. Trost. Gramm. & Pug. Fid. loco citato,) verum etiam Malachias cap. III. I. expressè docet, templum secundum non esse destruendum antequam veniat *Messias Dominator, Angelus Fæderis*, itemq; Elias præcursor. Quem locum rectè interpretatur R. Moses Filius Maimon de Messiaë. Et venturum quidem non post aliquot annorum millia, sed stante adhuc templo secundo,

cundo, evidenter docent verbā: **ECCE STATIM VENIET.** Idem inculcat Haggæus cap. II. v. 7. 8. 10. quando dicit **ADHUC UNUM PUSILLUM** futurum & tunc venturum **DESIDERIUM OMNIUM GENTIUM;** Quem locum rectè R. AKIBA (qui AK. quanto in pretio fuerit, indicat R. Eliezeris encomiū: *Omnes sapientes Israelis cor am me sunt instar tunica allii excepto hoc calvo*, id est R. AKIBA, qui calvuserat) exponit attestante R. Salomon Jarchi de temporibus Messix. Porro aspectū Messix dicitur domus posterioris gloria major futura gloria prioris. Nēpe quinq; templo secundo defuisse, quæ habuit primū, notant Rabbini: Urim & Thummim, Arcam Fœderis, ignem cœlitus delabentem, **שכינה** præsentiam Majestatis divinæ & gloriæ qua primum templum aliquando 1. Reg. II. 10. 11. Conf. v. 12. Exod. XXIV. 16. XL. 35. replebat, Spiritum deniq; Prophetiæ. Nisi ergo dicatur Messiam sua præsentia gloriam domus secundæ splendidiorē reddidisse, salvari veritas Prophetiæ Haggæi nequit. At Messix præsentia omnia ista explevit. Ipse enim gloria Israelis & DEI: Ipse Urim, & Thummim, a quo velut oraculo revelatio divinæ voluntatis prodire debuit: Ipse Arca Fœderis, & propitiatorium in sanguine suo: Ipse qui baptizat Spiritu & igne: Ipse in quo corporaliter inhabitat plenitudo Deitatis, *καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν* Johan. I. 14. Luc. I. 35. Ipse deniq; qui Spiritum sine mensurâ accepit. Confe. r Jerem. XXX. 18. seqq. & Targum Jonathanis, ubi de reædificatione templi, & ostensione atq; revelatione Messix **DUCIS** apertum testimonium habes. Ex dictis sequitur, Messiam venisse. Nam ea omnia impleta sunt, quæ Messix adventum comitari debebant, destructio urbis, templi, Sacerdotii Levitici, sacrificiorum. Sed & de destructione regni, adventum Messix præcessura, illustris est locus Gen XLIX. 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, &c. usq; dum veniat Schiloh* Sceptrum de Regno & principatu capiunt Targumim

Onkelos, Hierosolymitanum, Jonathanis: Schiloh similiter omnes Targumim interpretantur de Messia Rege. Atqui Regnum, & principatus dudum de Judà sublata, vid. Pug. Fidei part. 2. cap. 4. Ergo tempus adventui Messiaë præstitutum jam dudum effluxit. Id agnovere celebres Rabbini. Elias ille non Thisbnes, sed Magister Judæorum celebratissimus meritò hic adducendus, cujus dictum pervulgatum exstat in Thalmud lib. Sanhedrin. cap. XI. *Duo millia inane, duo millia lex, duo millia Messias & uno destruetur.* Ponantur jam anni quinq̄tes mille, quadringenti & ultra, quos à mundi creatione numerant Judæi. Sequitur tempus Messiaë definitum elapsum esse. Videatur Grotius de verit. Relig. CHRISTI. lib. V. qui pag. 26. Nehumiam quendam citat Rabbinum, qui annis 50. incarnationem Verbi præcessisse dicitur, & constanter asseveravit, non posse ultra 50. annos protrahi tempus Messiaë à Daniele designatum. Et quid solos Judæos memoramus? Percrebuerat, inquit Sver. lib. IIX. cap. 4. *Oriente toto vetus & CONSTANS opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Id quod Tacitus in medio lib. V. *Historiar. iisdem verbis* repetit. De Vespasiano quidem hæc aliqui cepere Nomini JESU Nazareni adversantes. Neq; dissentiebat initio ipse Vespasianus. Cæterum rectora postea edoctus, cum animadverteret, Vaticinia de Messia Prophetica ad se nihil attinere, exactè pervestigavit stirpem Davidicam, omnesq; quos cognoverat eam contingerq; occidit, sine dubio ea mente, ut vaticiniorum divinorum vim elideret, & sibi posterisq; dominationem firmaret. Liquidum ex dictis est, venire dudum debuisse Messiam. Reliquum est, ut demonstretur, neminem aliud esse Messiam posse, quam JESUM Nazarenum. Id evidenter relucet ex iis, quæ de Messiaë Nativitate, doctrina miraculis roborata & toto orbe recepta, passione, resurrectione & adensione, Divinarum litera-

rum monumentis prodita sunt, quæ omnia in nullum alium, præterquam JESUM Nazarenum quadrant. Atq; ut de nativitate nunc tantum strictim agamus, etsi plura hæc convehere liceret, duo tantum urgemus. Primum est quod legitur Mich. V. 2. ubi locus Nativitatis Messix digito designatur. Cujus rei tanta est evidentia, ut Chaldæa Paraphrasis, & R. Salomon Jarchi idem diserte inculcent. Neq; hic moramur Kimchium, qui ad Davidem hæc trahit Sic enim non *Ny* exhibit, sed *exivit* dicendum fuisset, neq; quæ sequuntur ad Davidem accommodari possunt. Et apud præsecos Judæos nullum hac de re dubium fuisse, demonstrat non solum Chaldæa paraphrasis, verum etiam Judæorum responsum Matth. II. 4. 5. & figmentum Judæorum, contendentium, Messiam suum natum esse Bethlehemi illo die, quo destructum est templam à Tito, nondum tamen eum parefactum esse, de quo delirio vid. Pug. Fidei part. 2. cap. 6. Nobis stat inconcussa fides. Mirando certe DEI consilio evocati Bethlehemum sunt Parentes Christi nihil forte de impletione vaticinii Michæ cogitantes, & ejus quidem mandato exciti sunt, cui vaticinium Michæne fando quidem auditum erat. Nullum ergo relinquitur dubium, quia clarissimo documento jam comprobatum est, Messiam stante Bethlehem venire debuisse, nunc autem everfa civitate Bethlehem alium expectari Messiam non posse, quam eum, qui admirabili DEI providentia in Bethlehem natus est, hoc est, JESUM NAZARENUM. Alterum quod Judæis non minori robore opponitur, extat Esa. VII. 19. ubi modum nativitatis Messix habes ex Virgine, uni Messix propriam & peculiarem. Conf. Thargumim Onkeli & Jonathanis. De voce מלך nihil notamus: sunt enim pleraq; omnia notissima. Judæi obvertunt veritati locum Proverbi. XXX. 18. Respondemus non esse necessum, si maxime secundum literam intelligatur, ut de prosti-

tutæ & delibatæ pudicitæ muliere intelligatur: quin cau-
sam esse satis evidentem in ipso textu, cur non intelligi de ad-
ultera debeat, aut possit. Subjicitur enim *¶* quæ particula
non idem, sed simile infert. Quod si adultera intelligatur
in membro priori, similitudo exspirat, & inducitur *μυ-
σολογία*. Pulchra sunt, quæ ad hunc locum notavit sæpe lauda-
tus Raimondus part. 3. dist. III. cap. VII. num. 2. *Animad-
verte Lector, quam bene Salomo in hac parabola vias Messia de-
scribendo incipiens à novissima, id est, ab ejus adscensione in cœ-
lum pervenit ad primam, id est, ad incarnationem. Quis enim
melior tenuit viam aquila in cœlo quam Christus, qui peccatores
velut quedam cadavera corruptos, & fœdos per peccatum, venit ad
pœnitentiam vocare, & sibi spiritaliter per fidem & charitatem
incorporare, & sublevare: & maximè cum cœlos adscendit in ad-
scensione Matth. IX. 13. Am. IX. 9. Esa. LIII. 1. Via ejusdem, ad se-
pulchrum, quod erat excisum in Petra, de quo tertio die resurrexit,
procul dubio via serpentis fuit super Petram. Num XXI. 8. Es. XI,
1. Joh. III. 14. Via navis in corde maris fuit status & vita & transi-
tus Christi per tempestates & amritudines mundi. Esa. LVII.
20. Deniq; via viri vel valeutis in Virgine fuit similiter incarnatio
CHRISTI de Virgine Maria: quam quidem viam Salomo plenè &
perfecte non potuit cognoscere. Rectè igitur dixit: At quartum
non cognovi. Adde quæ de adultera Spirituali Synagoga
Judaica præferente Barrabam homicidam Messia Sponso
tequuntur. Ad vos venio, Cives Academici honoratissi-
mi, dilectissimiq; Vestrum est devota mente *JESULUM*
Mundi Sospitorem, *LUCEM* Gentium excipere. Agite
ergo, omnem ex pectoribus ejicite ægritudinem. Ecce
annuncio vobis gaudium magnum: *NATUS EST IMMANUEL.*
Qui antea *DEUM* peccatis offensum formidabatis, gaudere
DEUM, nobis mirificò hoc partu reconciliatum, & in *JE-
SULO* nostro redditum esse Patrem mellitissimum. Qui
angelos horrebatis flammeo quondam gladio, quacunq;
adi-*

aditus in Paradisum patebat, collocatos, gaudete, factos esse Spiritus *λατρευτικὸς*, annunciantes vobis gaudium, quod erit toti populo propter natum nobis Servatorem. Sed & Vos, qui hactenus peccatis conscientiam vastantibus dediti fuistis, protinus vera resipiscentia & fide molem peccatorum abjicite: agnoscite dignitatem vestram, quam ex divinissimo hoc partu consecuti estis, & divinæ confortes facti naturæ, nolite degeneri conversatione in pristinam vilitatem redire. Qui in opibus hujus seculi congerendis nimio perè solliciti estis, & mundi delicias atq; irritamenta malorum sectamini, respicite Jesulum vestrum in hanc lucem editum non auro non ostro exceptum, sed in stabulo vilibus pannis obvolutum. Qui nocturnis bo-

SEMIVIRI QVE BOVES, SEMIBOVES QVE VIRI, conflictibus, digladiationibus ad insaniam usq; dediti estis, **JESU** intuemini Pacis Principem eo tempore natum, quo Jano Romæ clauso bellisq; consopitis, pacem totus colebat orbis. Qui hactenus irreverentia & inobedientia adversus Magistratum insurrexistis, obedientia & reverentia quod peccastis eluite & compensate, **JESUM** spectantes, qui nondum natus Aug. Imp. mandato parere & in tota vita Magistratum revereri Ipse Angelorum omnium Dominus non est dedignatus. Qui hoc ipso ad finem properante anno **INDICEM LECTI ONUM** publicè propositum nefaria manu contaminastis, & corrupistis, **INDICEM LECTI ONUM PUBLICARUM** propediem proponendum excipite recta mente, piis oculis, studio devoto, nunquam oblitum **JESULLI**, qui in templo Hierosolymitano doctoribus assidebat querens & respondens ipse omnium Doctorum Doctor. Solsequium imitamini, cujus ea est indoles, ut semper ad Solem se conuertat, & quem noctu

pen-

pendulus luget, eum orientem surgens veneretur & quocunq; ierit, sequatur. *JESULUS* Sol noster est, ad hunc mentis aciem dirigamus, hunc plena fiducia & dilectione minime facata sequamur. Sic futurum est, ut olim in regno cœlestis Patris æternum fulgeamus. *Semper nos, dilectissimi* (verba sunt Leon. P.) *sanctè vivere decet, & in id voluntates nostras & actiones dirigere, sed in his diebus diligentiori sollicitudine sunt corda nostra mundanda & studiosius est exercenda disciplina virtutum, ut sicut ipsa misteria majora sunt, ita & nostra observantia superet in aliquo consuetudinem nostram, & cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoq; in ea reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodo religiosum videtur in die festo in vestitu nitidiore prodire & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, & DEI templum propensiore cura & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus; nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum & vivum DEI templum est; speciem suam prudentia exornet, & nulla eam macula iniquitatis offuscet? Scrutetur igitur quisq; conscientiam suam, seq; ante se statuat, & censura judicii videat in secreto vordis sui, si humilia non spernit, si alta non appetit, si iniquo non delectatur lucro, & quam cito ab his, quæ noxiè blandiuntur, animum abducit. Sed hæc & alia ad excitandam devotionem facientia abundè suggerent, quibus hæc cura publicè Ecclesiam docendi est commissa. Quos ut audiatis debita *JESULO NOSTRO* pietate & ab iis, quæ hanc interturbare & obfuscare solent, vitiis, imprimis luxuria & turbandi rixandiq; libidine, abstineatis, serio vos moneo & obtestor. P. P. Rostoch. XXV. Decemb. Anno M. DC. LVI. cujus decursum simul & instantis Novi anni ingressum egressumq; omnibus nobis & singulis auspiciatissimum optatissimumq; ex animo precor.*



rum monumentis prodita sunt, quæ præterquam JESUM Nazarenum nativitate nunc tantum strictim a convehere liceret, duo tantum arguuntur. legitur Mich. V. 2. ubi locus Nazareth designatur. Cujus rei tanta est evidentiæ phrasis, & R. Salomon Jarchi in Neq; hic moramur Kimchium, qui Sic enim non *exhibet*, sed *exhibet* quæ sequuntur ad Davidem accipiuntur apud præfatos Judæos nullum habere demonstrat non solum Chaldæa per Judæorum responsum Matth. II. 4. rum, contendendum, Messiam suum illo die, quo destructum est templum eum patrefactum esse, de quo part. 2. cap. 6. Nobis stat inconcussitate DEI consilio evocati Bethlehemisti nihil forte de impletione vaticinii & ejus quidem mandato exciti sine dubio quidem auditum erat. Sed dubium, quin clarissimo documento Messiam stante Bethlehemo verè eversa civitate Bethlehem alium posse, quam eum, qui admirabili Bethlehem natus est, hoc est, JESUM Nazarenum quod Judæis non minori Efa. VII. 19. ubi modum nativitate sine, uni Messie proprium & peculiare Onkeli & Jonathanis. De voce nomen enim pleraq; omnia notissima. locum Proverbi. XXX. 18. Responsum, si maxime secundum literam

A

ullum alium, Atq; ut de si plura huc um est quod Messie digito Chaldæa Paralipomenon inculcent. In hæc trahitur fuisse, neq; ostendunt. Et solum fuisse, verum etiam tantum Judæorum Bethlehemie, nondum tradidit. Pug. Fidei Mirando certantibus Parentes Christiane cogitantes, nimum Michæ ergo relinquitur probatum est, , nunc autem Messiam non sentia in Bethlehem. ALIENUM. ALIQUONITUR, extat habes ex Virgilio. Thargumim oramus : sunt certunt veritati non esse necessarium, ut de prostituta

